



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quarè fides antè omne opus accipit talia Christi beneficia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

opus, sacrificium quod Deo placeat, est Fides in Christum: ergo & illam Deus antè omnia respicit: & primò docetur, sicuti arbor, quæ primò plantatur, & deindè fructus expectantur. Quoniam ergo Fides primum opus est, quo Deum accedimus, ideò fit quòd per solam Fidem in verbum Dei, efficiamur participes, per Sacramenta à Deo instituta meritorum & fructuum passionis Dominicæ antè omne opus, vel obseruantiam præceptorum: id quod claret in Baptismo, vbi puer baptizatus antè omne opus fit participes beneficij Christi, & adultus gratis iustificatur Fide absque operibus legis & meritis præcedentibus, Rom. 3. Ideò sola fides initio participat merita Christi antè omne opus. Et quia antequam seruatur præcepta, oportet adesse gratiam, id est, adiutorium Dei, Fides autem accipit illam gratiam, (nam Fides verbum secum portat spiritum sanctum) ergò fides sola antè opus accipit distributionem.

2. Quòd Fides antè omne opus accipit beneficia Christi, prima ratio est, vt gratiæ per Christum partæ præconium maneat integrum: Nam si Deus deberet per moueri nostro aliquo officio vel opere, ceu antecedenti quodam merito, vt distribueret suæ passionis merita, iam non esset pura & tota hæc gratia, sed in parte meritum nostrum. at dicit Apostolus Rom. 6. Gratia vel donum Dei, vita æterna: Et 3. cap. Gratia ipsius gratis iustificati estis. Deindè, ne mercenarij efficiamur, & oculo nequam ad mercedem respiciamus, & non ad puram & nudam DEI misericordiam dependentes, dum illi seruiamus, aut quòd Deo propter semetipsum non diligamus, sed propter eius dona, scilicet cælum: aut timeamus, propter infernum: Deus vult propter se amari & timeri, potius quàm propter sua dona. Si ergo per opera nostra velimus accipere Christi merita seu beneficia, hoc esset abijcere laudem gloriæ gratiæ suæ. Ephes. 1. Quoniam

niam ergo gratia saluati sumus, Ephes. 2. & gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, Act. 15. idè Fides antè omne opus accipit hæc Christi merita in baptismo. Ex quo patet quòd obseruatio præceptorum sine Fide, vt in Iudæis fit, non facit participes meritorum & operum Christi, nec merentur gratiam iustificationis, sed acceptio & participatio meritorum Christi, iam facta & apprehensa, id est, Gratia Dei hæc facit obseruari præcepta, id est, opera non merentur iustificationis gratiam vel distributionem beneficiorum Christi, sed ipsa gratia iam gratis collata, facit postea obseruantiam præceptorum, sicut merita hominis non meruerunt electionem, de qua dicit Apostolus Ephes. 1. Elegit nos in Christo antè constitutionem mundi antè omne opus nostrum. Sed quia iam gratis electi, vt essemus sancti & bona operaremur: idè gratia, non merita nostra, primum tenebit locum. Fides ergo antè omnia opera accipit distributionem beneficiorum Christi. Nam hæc distributio fit ex gratia, id est, misericordia propter Christum gratis, non propter nostra merita: & hoc probare maximè nititur Apostolus in omnibus suis Epistolis, præcipuè ad Rò & Gal. 3. ait: Si ex lege est hæreditas aut iustitia, iam non ex promissione. Deus autem Abrahæ promisit, &c.

Iustificatorum opera maximè sunt necessaria ad salutem eo fine, quòd acceptam gratiam & distributionem meritorum Christi in adultis retinent & custodiunt. Nam si obseruantia præceptorum Dei & piorum non sequantur Fidè, quæ iam accepit Christi beneficia, tunc non retinetur. Ro. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. & Ephes. 5. Hoc scitote, quòd nullus immundus, auarus, &c. & 1. Cor 6. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Ergo in illū finem exiguntur bona opera & obseruatio præceptorum;